

quam medicum promoveam ad oras malabaricas et insulas nicobaricas (hodie nove Daniæ dictas) (vid. Dampier) visitandas, cum novus gubernator, mihi amicissimus, eo mittitur. Sed optarem ipsi simul mille imperialium salarium, vt is vnice se historiæ naturali dicare possit, minus vero de pane per medicinam lucrando sollicitus esse debeat. Sed vanum votum.

Historiæ naturalis Islandiæ olim quidem curam habebam. Postquam vero fatum operis Regenfussiani expertus eram, nolui amplius inutiliter tempus meum collocare in suscipiendis laboribus, pro quibus pretium nullum, et gratias et honorem mereri admodum incertum et fallax est, vbi adprobatio a tot capitibus, non semper amicis, dependet, et vbi honor non in laborantem sed in totam societatem redundat. Hoc tamen novi et in memoriam revocare possum, Floram islandicam minus esse absolutam quam Faunam et Plutonem. Visum mihi est, quasi collectores non ausi fuerint plantam quandam herbario inserere, cuius nomen ipsis fuit incognitum. Idem fere vitium reprehendere debui in D<sup>o</sup> de Rohr, jam vero excussi istum inanem et noxium pudorem. Plantæ Islandiæ descriptæ, quantum memini, potissimum erant gramina.

Proximis navibus Americam petentibus curabo, vt D. de Rohr novam copiam suarum naturalium descriptarum vel collectarum, loco illarum, quæ perierunt, transmittat, et si hoc in duplo fieri poterit, non morabor eandem Tecum communicare, minusque notarum præcipue plantarum nomina a Te expetere.

Sex vel septem anni præterierunt, ex quo academia quædam artium, pictoriæ scil. chalcographicæ, sculptoriæ &c. in Hafnia nostra in castro Charlottenburg stabilita florere coepit. Huius Tutor et Patronus est Dm. Oberhofmarschallus, Comes de Moltke, idem ille, cuius superius mentionem feci; (cum Vniversitatis nostræ Patronus sit Comes de Holstein). Illa academia vt magis corivalis fiat Vniversitatis, decretum est studium quoque physicum, chemicum, historiæ naturalis, &c. illi adjungere. Hunc in finem ambo Tui olim auditores, D. Ascanius et D. Holmius munus Professoris acceperunt,